



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Christophori || Helvici || In Academia Giessena Quondam
Do-||ctoris & Professoris, Theologi, Philo-||sophi, Historici,
Chronologi, Philologi || laudatissimi, Libri || Didactici,||
Grammaticæ || ...**

Helwig, Christoph

Giessae, 1619

Semestre Tertium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70031)

Spatio igitur anni Latina lingua doceri & disci potest, ut discipulus & intelligere, & quantum satis est ad familiarem usum, loqui, ac scribere Latine noverit, & ex Grammaticis fundamentis, de quovis sermone rectè judicare sciat. Licet enim non omnia vocabula & omnes loquendi formulas teneat, (quod non requiritur ad Lingua cognitionem simpliciter, sed solum ad ἐξερπασίω) tamen autores Latinos legere cum fructu, & quod adhuc deest, nullo negotio per adhibitum Lexicon supplere potest. Ex abundanti tamen profuerit, tenera aetate, si ad complementum linguae, & ne prae maturè novis studiis distrahatur, adhuc integro Semestri in Lexici applicatione detineatur.

SEMESTRE TER- TIUM.

I. IN INTERPRETATIONE.

Interpretatione nunc deinceps non erit opus, nisi ad occasionem applicandi Lexici: Quare Autor quidem ab initio ad finem exponitur, sed non ea lectionum distributione ut antè, verum ita, ut simul Radices vocum in Lexico, unà cum Compositis & Derivatis, inter interpretandum perlustrantur. Itaque duae tantum interpretationes instituantur, & semestre in duas partes distribuitur, ut duodecim septimanis totus autor absolvatur, atq; ita bis percurratur hoc semestri tertio. Quamobrem unum tantum solum quotidie absolvitur, Et prima diei hora, interpretationi statim applicatio Lexici subjungitur, ad singulas voces quae in textu occurrunt.

II. IN APPLICATIONE LEXICI.

Lexicon nequaquam ab initio usque ad finem percurritur. Nam hoc propter varietatem Derivationum & Compositionum valdè tedium foret, si per solam seriem alphabeticam ordine deducenda essent. Sed sicut Poeta lectorem fallunt inversione seriei historica, Ita praeceptor discipulum inversione seriei alphabeticæ. Quare illo ordine radices tractat, quem series textus monstrat.

Hic in considerationem venit, An omnes omnino voces Lexici attingende? etiam ea, quarum occasio ab autore non suppeditatur. Id verò nequaquam consultum est. Ratio, 1. Quia nimia varietas & multitudo ingenium turbat & obtundit, (qua praecipua est) quia multa inusitata & rarissimi usus vocabula, ratione derivationis in Lexico ponenda sunt, quae fortè per totam vitam non occurrunt. Eadem igitur ratio, quae in Nomenclaturis, etiam hic militat: Sic igitur Lexicon applicandum fuerit.

In pri-

In prima interpretatione Verba tantum in Lexico inquiruntur. In Secunda tantum Nomina. Utraque hoc modo:

Data voce, si primigenia sit, eam Præceptor in Lexico inquit, & indicatâ paginâ discipulos itidem quemlibet in suo Lexico inquirere jubet: sin derivata sit, ejus primitivum in Lexico commonstrat. Repetit ejus genus, declinationem, conjugationem, præteritum è Grammatica &c. Inde ad Derivata progreditur, sed ea tantum, quæ usitata, frequentia, & trita sunt, producit in medium, [eaq, peculiari notâ insignita erunt in Lexico.] ceteris neglectis. Si quod derivatum alibi in autore extet, id monendum est. Inde ad Composita transit, & summo tantum fastigio illa attingit, ut: Rego, rex, rector, regina, regula, &c. Arrigo, (ich) rect in die Höhe / Corrigo, (ich) bring zu recht / verbettere / Erigo, (ich) rect auf / richte auf ic. neglectis derivatis, (præsertim Supinalibus, nam illa proprio Marte formari possunt) nisi insignia sint, aut in autore ipso extet, ut Pergo, Expergiscor.

Postquam una radix hoc pacto absoluta est, pergit ad aliam, & sic deinceps per totam lectionem. Neg, opus hic est, una hora totum folium absolvi (nam id impossibile, præsertim ab initio, ob multitudinem radicum) sed omnes diei hora, uni folio relinquuntur.

Si quid verò temporis superfit, id tribuendum est Verstori Latina exercitii, è presenti textu auctoris desumpti, quod Præceptor in ipsa hora Germanicè dictat, & alternatim vel ex tempore Latine proferrit, vel in Latinum scripto transferri postulat. Idque quamprimum redditum est à singulis, ipse si quid erratum, corrigit, at deinde ipsemet Latine profert: Scriptum verò & à seipso domi antea versum clara voce pronuntiat, & quidem variato aliquoties versionis stylo, Ex quo singulos jubet suas versiones emendare. Hoc modo labor inspiciendi singulas versiones tollitur, & nihilominus finis inspiciendorum exercitiorum obtinetur.

F I N I S.

AD LECTOREM.

In Opusculis Didacticis quædam adhuc sunt residua, quæ hac vice non potuimus lucem edere. Nempe in primis Conjugationes Hebrææ & Chaldaicæ, Lexicon item in Sancta Linguâ diligenter concinnatum. Causa autem fuit, præter temporis brevitatem, quòd Typographia in tanta festinatione non potuit, et si studiosè in hanc curam incumberet Typographus, satis instrui literis sive typis Hebraicis, quorum & copia & diversitas in primis hinc requiritur. Tu, LECTOR benevole, his interim fructe, & reliqua à nobis propediem expecta.